

Version latine n°3 : le charme désuet de Cicéron

Défenseur des modernes contre les anciens, l'orateur Marcus Aper n'hésite pas à se montrer critique à l'égard du style cicéronien.

Ad Ciceronem uenio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi uobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat ; nec ulla re magis eiusdem aetatis oratores praecurrit quam iudicio. Primus enim excoluit orationem, primus et uerbis dilectum adhibuit et compositioni artem, locos quoque laetiores attentauit et quasdam sententias inuenit, utique in iis orationibus, quas senior iam et iuxta finem uitae composuit, id est, postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset. Nam priores eius orationes non carent uitiis antiquitatis : lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus ; tarde commouetur, raro incalescit ; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. Nihil excerpere, nihil referre possis, et uelut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum uolo tecto tegi quod imbrem ac uentum arceat, sed etiam quod uisum et oculos delectet ; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. Quaedam uero procul arceantur ut iam oblitterata et olentia ; nullum sit uerbum uelut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inertis structura in morem annalium componantur ; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, uariet compositionem, nec omnis clausulas uno et eodem modo determinet.

Tacite